



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 33. Gesta post devastationem oppidorum narrantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

tumultu factum est, cymbæ omnes ad portum unum sub tereo tumulo in formam castelli extemporaliter exstructo, eo fine retræcta sunt, ut & Neophyti ab hostibus fugientes accommodè Igaim transmittenent, & ipsis prædonibus transcurrendi commoditas subtraheretur. Præterea variis in locis fluvius, quæ vadari poterat, milite firmatus est: & trans ipsum Igaim insidiae in adjacentibus nemoribus collocaæ sunt, unde in palantes latrones ex improviso effusæ armati Neophyti, hostium non paucos, indemnes ipsis, interfecere.

CAPUT
XXXIII.
Gesta post
devastatio-
nem oppi-
dorum nar-
rantur.

Fama cala-
mitatum
angatur.

Caapienses,
Caarœnses
que trans-
migrant.

Ab Parana-
nibus reesi-
gnantur.

Auxilia que-
runtur.

Didacus Bo-
roa hostibus
se opponit.

Ad Regens
scribit.

Littera mi-
raculo ser-
vantur.

Numerus
abactorum
ab Mama-
lucis.

IN TERE A ubique trepidabatur, JESU-Marianis fugientibus, famam calamitatis ubique spargentibus, & in immensum augentibus: narrabant enim deleta esse cuncta Tapensis provinciæ oppida, hostes Urvaicensibus imminere, plerosque Patrum de medio crudeliter sublatos. Auxit metum Antonius Ruisius, cui ferebant cœlitùs revelatum fuisse, de novo fundata ad Urvaicam oppida aliquando ab Mamalucorum furore loco motum iri; & ipse, audito, hostem per Tapensem regionem grassari, autoritate usus præceperat Sociis Urvaicensibus, ut igne oppidis injecto, gentem omnem versus Paranam in turum reciperent. Quod mandatum statim artipientes Caasapaminenses, templo suo domibusque concrematis, effusæ fugâ (quamvis hostis quadraginta leucis abesset) ad Paranam se contulèrent. Hos sequuti Caarœnses, patrum etiam solum, incéso oppido, deseruère. Et jam Caapienses, Caasapaguacuensesque fugere incepérant, cùm Didaci Boroæ Provincialis mandata perferuntur, jubentis, ne sé quis loco moveret, antequam ipse coram rem totam perspexisset. Accepérat is invasionis nuncium in itinere ex Assumptionis urbe ad Paranam veniens, quò dum pervenit, mille & quingentis Caasapaminensium capitibus ad desertam concrematamque patriam redire renuentibus occurrit, quos omnes Itapanis commandavit. Paululum progressus obviā habuit Caarœnses, quos ad reliquas Paranae colonias remisit, donec maturè de reædificandis tutori in loco oppidis consultaretur. His rebus intento trepidum nuncium adfertur, Josephum Oregium fugitivos Neophytes comitantem in desertis locis errore via perditum fuisse. Triduum hæc fama anxios tenuit, quo adusque nunciatum est comparsisse. Ex itinere, Provincialis à Paraquaria Prætore auxilia postulans, pro responso accepit, ab iisdem Mamalucis Itatinenses ex aduersa parte etiam vexati, nec è Republicæ bono videri, si copiolæ paucorum civium in tot loca distraherentur. Prætoris Argentei fluvii filius, militæ Hispanæ præpositus, alias res causatus, & Civitas Sancti Joannis, auxilia etiam denegavere. Didacus Boroa externorum subdiorum spe dejectus, mirabili celeritate ad Tapensem provinciam properat, dispalatos hinc inde Neophytes in unum cogit, fortissimorumque Barbarorum ex variis oppidis haberi delectum imperat: quorum in comitatutrans Igaim ire ausus est, eō fine, ut saltē metu injecto prædonum audacia infingeretur. Sed elapsis cum præda hostibus, in destrutis oppidis nihil nisi cadavera virorum fœminarumq; crudelitate oppressorum, & in JESU-Mariani templi ruinis altare fecit conspurcatum reperit. Humatis corporibus, invasionis seriem exquisitis litteris ad Regem Catholicum re-scripsit. Quæ litteræ, ducentis ab Lusitania leucis summâ perfidiâ in mare projectæ, miraculo ad littus Ulisipponense postmodùm repertæ, Regique traditæ sunt: cùm æquali Sociorum laude, & prædonum infamia. Secundum id, destrutorum oppidorum incolas in Caarœnsim, Caasapaminensemque agrum cum Sacerdotibus transmisit, ibi tamdiu in desertis villis nutriendos, donec commoditas restituendæ rei appareret. In hac depopulatione viginti-quinque millia partim Neophytorum, Catechumenorumque ab Sociis reductorum, partim Ethnicorum corumdem curæ destinatorum, ab Mamalucis in Brasiliam abacta fuisse (ut mortuos in itinere taceam) satis constat. Sie Tapensis provinciæ Socii spem promovendæ rei ultra Igaim amisere, & metum alterius jacturæ altè concepere, non diu post ad novos luctus calamum meum citaturæ.

HISTORIÆ